



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Quid Est Cultus Dei?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

gratiarum actionis, non de merito, seu propitiatione pro peccatis, quia expresse dicit: Offerimus pro patribus, Prophetis & Apostolis, videlicet gratiarum actionem, sicut verum est, semper in cetera Domini hac facienda esse ordine, publice & privatim. 1. Proponendam esse doctrinam de beneficijs Christi, de poenitentia & fide. 11. Secundo, Faciendam esse inuocationem. 111. Tertio, Summationem, qua fides confirmetur in conuersis, qui statuant, vere sibi applicari beneficia mediatoris. Et in eo exercitio fidei summo habet rationem Sacramenti, quia accipit beneficia Dei. 1111. Quarto accedat gratiarum actio publice & priuatim de toto beneficio redemptionis & collectionis Ecclesiae, & de alijs beneficijs, spiritualibus & corporalibus. Ideo vetultas vsa est nomine *uoxagias*. Sed prius intelligenda est ratio Sacramenti.

DE INVOCATIONE, PRE-
CATIONE, ET GRATIARUM-
ACTIONE.

QVID EST CVLTVS DEI?

RESPONDEO. Est opus à Deo mandatum, factum in fide, id est, vera agnitione & fiducia mediatoris, quod referatur ad honorem, ut Deo tribuatur honos, id est, vt testemur, hunc vere esse Deum, quem sic colimus, & cum sic velle coli. Sit igitur regula cultum Decalogus recte intellectus, iuxta dictum Ezechiel. 20. In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis patrum. Et in prima tabula praeceptum de inuocatione praecipitur, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.

QVID EST INVOCATIO
seu adoratio?

EST aut petere à Deo propter mediatorem bona necessaria, aut pro beneficijs Deo aut mediatori gratias agere. Quod vero aliud tertium genus adiungunt, celebrare laudes Dei, id spargunt in illa duo genera, aut certe est doctrina ostendens quid & qualis sit. Quasi quis vult esse tertium genus non repugno.

QVOMODO FACIENDA EST
inuocatio seu petitio?

SATIS intelligi potest, alium motum in corde esse, petere vt nobis aliquid detur: alium, latari accepto beneficio. Primum petatur discatur, quomodo facienda sit petitio. Ac turpis neglegentia est, cum de ceteris virtutibus tam multa & scripta & disputata sit, de vera precatione, quae est summa virtus, minus cogitari. Necessaria